

# HENRICVS PRAEPOSITVS, ET CAPITVLVM ECCLESIAE METROPOLITANAЕ PRAGENSIS, OMNIBVS ET SINGVLIS DIVINI VERBI PRAE- dicatoribus, in ciuitate Pragensi existentibus, & iurisdictioni nostræ subiectis, gratiam & pacem in Christo Domino nostro.

Significamus uobis atq; mandamus per has literas officij nostri sigillo munitas, ut ad proximam dominicā, quæ intra octauas S. Apostolorū Petri & Pauli celebratur, in ter concionādum populo denūtiteris & cōmendetis institutum nouæ scholæ apud S. Clemētem, in hunc uidelicet modum. Quoniam sacra Regia Maiestas dñs noster Clemētis, ius, uiros quosdā eruditos, in diuinis humanisq; literis & disciplinis exercitatos, & patres religiosos illos de societate nominis Iesu dictos, nuper ex Italia conuocari, & ad recte pieq; informandam iuuentutem huc mitti, sumptus etiam necessarios illis suppeditari, & omnes apud S. Clementem commorari curauit, ad gloriam nimurum omnipotentis Dci, nec non ad Reipub: communem utilitatem egregie promouendam: Idcirco memorati patres, ut & suæ profesiōni, & Regiæ commissioni, bonorumq; expectationi faciant satis, in IE S V C H R I S T I sanctissimo nomine Scholam in eum usum iam paratam aperient, & die Mercurij proximo, qui Iulij mensis erit octauus, lectiones suas publice & solene niter auspicabuntur. Ita ut omnes & singuli cuiusvis etiam nationis, etatis & conditionis homines, ad huius collegij seu schole Regiæ & catholicæ lectiones accedere, gratis erudi ri ac institui, Scholasticas etiam disputationes ac exercitationes tractare, omnia demum quæ illuc prælegentur artium, literarum ac linguarum genera discere liberè & legitimè possint. Iḡit̄ hoc laudabile, piū, frugiferum & Regium institutum omnes, uti par est, commendatum atq; comprobatum sibi uelint habere. Datum Pragæ, IIII, die Iulij. Anno post Virgineum partum. M. D. LVI. 5.56.

## ORDOLECTIONVM, QVAE IN COLLE GIO REGIO APVD S. CLEMENTEM AD IESV CHRISTI GLORIAM, ET utilitatem publicam instituentur atq; continuabuntur

IESV CHRISTI OPT. MAX. fœlicibus auspitij, & Sereniss. Regis Roman: Boem: Vngarie &c. D. FERDINANDI fauente autoritate, R. Patres de societate nominis IESV, & iudem doctissimi profesoress, ad Scholam nouam, Regiam & Catholicam constituendam, primum ingredientur die Mercurij, mane hora septima, peractis iam sacris in æde sacra B. Clementis.

Post pias precationes ad dicendum prodibit R. D. D. Henricus Blysemius, qui gratia diuina fretus explicandam porrò suscipiet Paulinam, & uerè Apostolicam illam Epistolam ad Romanos, hora nimirum quotidie octaua. Tuni idem Doctor Theologus à meridie linguam sanctam & Hebræam ex Nicolai Clenardi Grammatica proponet, paulo post ernarraturus Psalterium Davidicum ex fontibus Hebræis, cum auditores quidem eius lingue prima impedimenta utcunq; superarint. Cui Hebraica lectioni hora quar ta post prandium tribuetur.

Proximo die Louis orationem habebit R. D. D. Iohannes Tilanus philosophiae professor. Auspicabitur deinde Porphyrianam Isagogen, & Logicam Aristotelis principis philosophorum, ut hinc via muniatur auditoribus ad capessendam reftus sublimiorum Philosophiam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Physicam, Metaphysicam. Quæ lectio mane ad septimā instituetur. Accedet eiusdem professoris pomeridiana lectio in Grammatica Nicolai Clenardi Græca, quoad auditores ad Græcum autorem ipsis enarrandum habiles uidebuntur. Ex Mathematicis etiam lectio adiungetur, si quidem librorum & auditorum commoditas ita feret.

Sequetur hosce profesoress duos Doctor Rhetorices M. Guilielmus Antuerpianus, qui artem quidem dicendi ex libris ad Herennium, usum verō artis ex Oratione Ciceronis pro Milone monstrabit. Accedet Horatius de arte Poetica, aut simile quiddam ex voluntate & utilitate cōmuni auditorum adjicitur. At initio laude dicet eloquētix.

Inferiores classes a M. Sylvio, & alijs Praeceptoribus bona fide curabuntur, ut habeant Studiosi, quæ magno cum fructu audiant & discant ex humanioribus literis & autoribus classicis, ex Officijs & Epistolis Ciceronis, & Grammatica utraq; Despauterij.

De reliquis ad ueram methodum & rationem in hac noua Schola docendi discendiq; spectantibus, tum de classium distributione & disciplina instituenda, de disputationibus itidem, repetitionibus, ac exercitationibus Scholasticis hic obseruandis, nunc admonendi ac statuendi aliquid locus non est. Nam studiosorum ingenia primum omnium experiunda, pro captu autem discentium autores, libri, preceptores, canones proponendi, omniaq; diligenter in eum modum ordinemq; constituenda else uidebantur, ut iuuentis profectui q; maximè consuleretur. Nam quod ad professoress ipsos attinet, hi gratis suas operas nulli non elocare, omnibusq; ex animo seruire & professe modis omnibus admittentur, quò & officio illi suo, & iuuentis commodo, & Sereniss: Regis sancte uoluntati, & bonorum omnium præclaræ expectationi non prouersus defuisse uideantur. Tantum hisce coepit IESVS CHRISTVS aspire; illi omnis laus, honor, & gloria sempiterna.

### AD LECTOREM CANDIDVM.

Hic Pallas sapiens, hic doctus Apollo, disertus  
Hic Hermes, Charites, pieridesq; sedent.  
De supero applaudunt spectantia numina regno,  
Christus & Athletis dona dat ampla suis.  
Magna tibi, lector, fortè hæc promissa uidentur,  
Maius at his fausto numine surget opus.  
Ni mihi dicenti credis, tibi crede uidenti:  
Ergo uide ut credas, ut uideasq; ueni.

IN OBRECTATORES ET MALEDICOS.  
Obrectant aliqui nobis, ipsiq; tacenus,  
Factis non dictis se Schola nostra probet.  
Momis ex animo fœlicia cuncta precamur:  
Consiliumq; bonum, si placet, ecce damus:  
Vincere nos studeant, erit hoc certamen honestum,  
Vtile, iucundum: candor id. ipse iubet.  
Ingenuae gaudent sincera pace Camænæ,  
Præcipue Christi si plus adsit amor.  
Sit semel hoc dictum: Quod si maledicere pergent,  
Certa parant nobis commoda, damna sibi.

EPIGRAMMA CHRISTOPHORI THANNE  
RI IN COLLEGIVM REGIVM APVD D.  
CLEMENTEM NUPER ERECTVM.

Iam reddit ille nitor, redeunt sacra munera regno,  
Nil modò quod carpas improbe liuor, habes.  
Qui fuit, Ausoni quondam cum Carolus orbis,  
Arbiter, his oris iura uerenda dedit.

Austriacæ gentis Ferdinandus maximus heros,  
Numine clara regit qui tria sceptra suo,  
Aonias reuocat depulsas sede forores,  
Instauratq; graui rex bonus ære scholam,  
Quam proauia uarijs uoluerunt dotibus auctam,  
Villus ne regno nobilis abefset honos.  
Hic ubi Praga polo fœlix caput ingerit alto,  
Regia sceptrigerum Praga decora ducum.  
Huc, modò non fallant Gynæi oracula uatis,  
Confluet ex uarijs lœta iuuenta plagi.  
Fonte salutifero utuas hic hauriet undas,  
Discet & æterni sacra responsa Dei.  
Sive Palestinam, Latiam, linguamue Pelasgam,  
Apta uel in certos nectere uerba modos,  
Aut uigili rerum certas euoluere causas  
Ingenio, aut Pysij Nestoris ore loqui.  
Non erit inferior doctis Praga inclita Athenis,  
Vix cedet teclis Sequanaclare tuis.

### ALIVD EPIGRAMMA VENCE SLAI A MVGLITIO.

Inclytus ut uidit profugas reuocare Camænas  
Ferdinandus regis muneris esse pij,  
Erexit sedem musis & Apolline dignam,  
Hic ubi piscoia Praga superbit aqua.  
Artibus insignes uarijs adduxit ab oris,  
Et pura claros relligione uiros.  
Hi poterunt dulci iuuenilia nectare corda  
Imbuere, & studijs apta referre sacris.  
Huc propera, quisquis caput ex ornare per artes,  
Clarius & mulis reddere stemma cupis.

